

10
 19
 2
 169
 1. T
 169
 1.
 2. K
 3. K
 4. L
 169
 1.
 H



1696.

1. ^{part} Caelenius, Eduardus Franz: De crimine con-
tentionis in specie circa officiales in subditos
2. Imp. 1708 - 1723

2. Zollius, Hermannus: Disputatio inang. jur. ad Ue-
mentiam saepe contingit. De verborum significa-
tione & declinationem processus summarii exhibens.

1697.

1. Kerker, Hermannus Emerlus: Miscela juris selectiora.

1698

1. Kerker, Hen. Em.: De principio jurisprudentiae

Romano-Germanicae.

2. Kerker, Hen. Em.: De jure mutationis

3. Kerker, Hen. Em.: De legibus et statutis hominum.

4. Ludewigius, Conradus: De jure retentionis

1699.

1. Birstein, Fridricus Wilhelmus: De paupertate Curatorum
Holsat. Schaumburgicorum hoc seculo extinctae.

1699.

2. Kestner, Hen. Ern: Restata juris prudentiae necessaria
que juris naturalis et civilis conjunctione.
3. Kestner, Hen. Ern: De jure reformae et in saecris
4. Herin, Mathias: Dissonantia juris civilis,
Canonici et moderni
5. Gallias, Hermannus: Recas selectarum conclusionum
juris.

1700.

1. Kestner, Hen. Ern: Mixtura positionum ex jure
feudali controversi.
2. Kestner, Hen. Ern: Jus principis circa saecra
3. Kestner, Hen. Ern: De praesentia principis
- 4^a. Kestner, Hen. Ern: De jure tabaci. 2 Sumpt. 1700
- 1712.
- 4^c. Kestner, Hen. Ern: Vom Rechte des Tabaks
und dem Landessteuer. 1713.

1700

5. Kertner, Hann. Jurellus: De jure peregrinantium

6. Ludewigius, Conradus: Si datus causa te

7. Zollner, Hermannus: De speciali jure principum
imperii in civitates mistas

1701.


1. Kertner, Hann. Jurellus: De successione Hispanica
in jure gentium.

2. Zollner, Hermannus: De transitu innoxio.


[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]












12

10

1699, 2

Dissertatio Academica
 DE
**STATU JURIS-
 PRUDENTIÆ, NECES-
 SARIAQVE JURIS
 NATURALIS & CIVILIS
 CONJUNCTIONE,**

QUAM
 IN ILLUSTRIS ACADEMIA HASSO-
 SCHAUMBURGICA,
 IN AUDITORIO ICTORUM
 Ad diem Decemb. M DC XCIX.




Publico Eruditorum examini submitunt
 PRÆSES

HENR. ERN. KESTNER,

Doct. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.

JOHANN ANTHON DOHM,
 Rinthelensis.



RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

Anno 1799. Junij 4. Gestalt. Coeque

ta
D.
co-
to
co.

J. A.

ta
c.
b.
il-
ü-



VIRO *Illustrissimo*
DOMINO
DN. PAULO
de FUCHS,

Seren: atque Potentiss: Electoris
Brandenburgici Ministro Status Primario,
Rerum Feudalium & Ecclesiastica-
rum Directori Eminentissimo,

Hæreditario Domino in Malchov,

*Domino atque Patrono meo Gra-
tiosissimo,*


Hanc de Statu Jurisprudentiæ disputationem

*In signum devotissimi, &, ob tot in me
collata beneficia, gratisimi animi*



Dat, dicat, dedicat

PRÆSES.



§. I.



Xtra dubium est, dari aliquod Universale Jus, quod omnes omnino homines tenet, nec aliud esset immotum hoc justis & æqui principium negare, quam ex homine, cui divina cæteroquin indoles, brutum formare, & actiones hominum, cum brutis miscere velle, horum enim est

*Datur Jus
Naturæ.*

extra legem vivere. Scilicet indidit supremus naturæ arbiter homini semina justitiæ, quæ per rationem sicuti scintilla ex chalybe excitatur, quin nulla gens tam barbara, nullus populus tam horridus est, qui generalem hanc menti impressam idæam aut delere, aut prorsus exuere possit. Male ergo hoc negarunt *Carneades apud Lactantium instit. Div. V. 16. Cyrenaici de quibus Laertius l. 2. vit. Aristippi. alique passim confutati vid. Pufend de Jur. Nat. & G. II. 3. 10. & II. Scharrock de offic. c. 2. num. 1. 2. 3. Rachel. diss. de Jur. Nat. §. 29. Eichel. de Jur. Nat. Par. & lib part. 1. §. 1. seqq.*

§. II. Verum in designando hoc primo Juris puncto, cujus radii in homine delitescunt, tam mirè desudant Doctores, ut cui sententiæ tuto inhæreas, non unus moveri pote-

*Varia Fu-
ris Naturæ
Principia.*

A

pote-



Grotii
Principi-
um.

Pufen-
dorffii.

Hobbesii.

poterat scrupulus, eoque jam deventum, ut, quod in quaestionibus ad praxin pertinentibus advertimus, magis de Doctorum sententia & caeca horum autoritate tuenda, quam in vero rationis criterio investigando occæcentur plurimi. Magnus quidem ille *Hugo Grotius*, Primus Juris Naturalis restaurator, principium aliquod in societatis custodia quaerit, quæ autem huic sententiæ opponi poterant, dixi in *disput. Jur. Gent. I. de Princip. Jur. Nat. cap. I. §. 11*. Societatis enim humanæ jura in utilitatibus humanis radican- tur, quæ autem cum in arbitrio humano sitæ sint, ita mortales pro lubitu has utilitatum leges rumpere, convellere, mutare poterant, ut adeo hoc principium magis ad principium aliquod politices quam Juris spectet. Quæ vero idem vir celeberrimus de judicio recte informato, de prudenti rerum dispensatione subjungit, non hujus sunt loci, sed ad ethicam spectant: *Pufendorffius* aliud quidem nomen, ipsum tamen illud principium de socialitate substituit, in quo quidem recte versatur, dum ex socialitatis legibus præcepta erga Deum, se ipsum, & proximum deducit, sed minus recte dum socialitatem pro principio ponit, quippe quod certa, quæ a solo summo legislatore proficiscitur, obligatione destituitur. *Hobbesius* vir subtilissimi ingenii, cui multum se debere *Pufendorffius* fatetur, in tractatu suo *de cive*, qui ad hoc argumentum potissimum spectare videtur, omne hoc jus a bello, victoria, mutuoque metu ac odio deducit: ait enim naturam hominibus dedisse jus atrocissima quæque facta, potestatemque omnia scelera perpetrandi, alios in corpore vitæque sua pro lubitu lædendi, res occupatas occupandi, scortandi, vagumque concubinatum exercendi, & qui innumeri non nominandi casus fingi possent: eumque belli statum id est hominis extra societatem constituti appellat, in quo hominem sine ulla lege, sine conscientia prava factorum, sine justis ac iniustis bonique ac mali regulis intuetur; quod vero cum heterodoxum, ita indignum id rationali
crea-



creatura credimus, quasi tam hostilis ferinque impetus sint homines, ut naturali quodam instinctu in cædes, in odia, in sui propriam ruinam grassentur, quod quamvis in aliquibus accidat, a particulari tamen & ab individuo aliquo ad totum humanum genus argumentari velle, ne utique humanæ conditioni congruum putamus, quin quam facile dicitur, homo homini diabolus, tam facile rejicitur homo homini non diabolus sed Deus. Postea idem hic vir delabitur ad alterum quoque extremum, cum enim à natura homini tam laxam atque effrenam licentiam concessisset, mox omnem omnino libertatem ei aufert, eamque in civitatem suam confert, cui putat resisti non posse, quamvis nil nisi perniciosissima faciat. Itaque somniat mortales sapientiores longe suo creatore, metu hujus juris convenisse, eique renunciaffe, in publicam vero civitatem omnem voluntatem suam contulisse, ne amplius vellent velle quod per naturam sibi liceret, ex quibus apparet, quod plenissimam Tyrannidem erexerit, & a Grotio dissenserit quidem, sed infelicissime. Alii tum ex sacris, tum ex ethicis principia sua quærent, illa ut in se pulchra Christianoque imprimis dignissima sint, nescio tamen quomodo primo intuitu gentilibus, & qui sacra nostra respuunt, hæc obtrudi possint; hæc vero ex moralitate quidem fluunt, sed quæ hic demonstrabitur arcta & firma obligatio: huc pertinent eorum principia qui ex præceptis Noachicis Jus Naturæ derivant *uti Hebraei de quibus Seldenus l. 10. ex sola utilitate, uti Epicuri vid. Gassend. Tom. 11. p 786. ex cultu divino uti Dn. Nitschius Elem. Jurispr. univ. ex amore Dei & hominis uti Hopperus de arte juris lib. 1. fol. 21. Hugo de Roy de eo quod justum l. 1. t. 3. §. 5. ex conformatione creaturæ rationalis cum creatore uti Zentgrafius, ex comparatione ad decalogum, uti Philo Judæus de Decal. ex fine mundi conditi, uti Lambertus Velthusius de Princ just. & decor. p. 964. ex ordine, uti Dn. Bodinus disp. de jure mundi §. 1. & 2.*

A 2

§. III.

*Recensio
aliorum
Principio-
rum.*



*Solidum
juris N.
Princ in
voluntate
creatoris
statuitur.*

§. III. Nos, rejectis his, aliud quærimus ex voluntate superioris videlicet Dei tanquam legislatoris summi, quemque & ipsi ipso primo intuitu agnoscere debent gentiles, nam nulla fere gens tam barbara, tantique animi desperati fuit, ut Dei existentiam & summam rerum moderationem in dubium vocaverit. Verum hic plena dubiorum seges se pandit, dum aliqui principium hoc largissimum crepant, quippe quod omnibus disciplinis, rebus, & quicquid in hoc universo est, adaptari poterat, ubi Deus ens entium nuncupatur, verum distincte heic procedendum. Dicimus igitur quicquid Deus circa actiones morales vult, id ipsum fons juris Nat. est, quicquid prohibet, contrariatur huic juri, ut adeo *Jus Nat., nihil sit aliud quam voluntas creatoris omnia illa, quæ ab ipso prohibita non sunt, agendi.* Natura enim agendi facultatem homini in infinitum impertit, quæ eousque licita permiffaque erit, donec aliquis superior sit, qui hanc voluntatem restringere & possit & velit, nam qui injuste me agere contendit, utique probare debet, id, quod ago, prohibitum esse, mihi que impedimentum ostendere, quo impediar, facultate mihi a natura concessa uti. Hæc vero prohibendi actionesque nostras restringendi facultas, soli rerum creatori competit. 1. Quoniam omnis facultas ac potentia agendi ab illo solo promanavit, ergo & facultas illa prohibendi actiones nostras easque restringendi, prius exinde patet, quod fieri non possit, ut creatura sit causa sui ipsius. 2. Quia is demum facultates nostras restringere ac prohibere potest, qui easdem nobis concessit, qualis tantum est sanctissimus creator noster, qui habuit absolutum jus ac potestatem nos creandi, & quoquo modo de nobis in hoc creationis negotio disponendi, ut proinde facultates hæ ab ipso solo dependeant. 3. Quia non potest ulla creatura esse, quæ nobis auferre possit jus a creatore datum, cum in opus sui creatoris nullum jus habeat, contra vero omnis facultas creatori in creaturam competit, nihilque in-




interest, cum prohibere possit, num per se an per alium id mediate exequatur, accedit. 4. Quod nulla lex sine superiori, qualis nullus heic alius est, quam summus rerum creator, vel dici vel fingi possit, testatur id præterea communis gentium plerarumque consensus, non allegabimus Mosen ac Hebræos, quorum constans & antiquissima hæc fuit opinio, sufficiat unicum elegantissimumque Ciceronis effatum in *lib. 1. de leg. c. 29.* heic produxisse, quando ait, sed jus quod nobiscum natum est, non ab hominibus excogitatum, sed ejus Deus est inventor, disceptator, lator. Ita quoque *Xenophon. lib. 4. de dict. & fact. Socratis:* Ego vero leges has non puto esse scriptas, sed eas Deum hominibus sanxisse ac constituisse.

§. IV. Cum vero hæc creatoris prohibitio laxissima sit, adeoque justis fines justique termini ponendi sunt, ex quibus cum permissio cum prohibitio hæc creatoris propullulet, & velut ex principio aliquo purissimo derivetur, notum inquam est, quod omnis lex sit voluntas superioris, voluntas autem duobus declaratur modis vel verbis vel facto, Voluntas creatoris verbo declarata jus divinum, facto, Jus Naturæ absolvit; quæ facta 1. constant ex motibus & instinctibus intrinsicis homini a natura inditis, qui sunt actiones ipsius creatoris, dum eos in nobis voluit existere, atque eo magis id voluit, quia nos non solum condidit, sed & studium in nobis ac propensionem ad aliquid agendum, quod ex conjunctione maris & fæminæ, procreatione sobolis, & educatione liberorum imprimis apparet, quippe ad quæ nobis a natura datum est studium vehementissimum, motusque ferventissimi, quos sane instinctus, si vitiosi essent, creator singulis speciebus non indidisset, ex quo constat, hos naturæ impetus tam diu exerceri, donec ii restricti appareant, exerit quoque hoc sese in naturali defensione, quæ omnibus hominibus inesse videtur, nam nihil magis naturæ consentaneum esse videtur, quam quod quodque animal sibi

*Facta ex
quibus vo-
luntas cre-
atoris eli-
ciatur.*

sibi concilietur, alienetur autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum afferre videntur. De quo præclare Grotius *lib. 1. c. 2. §. 1. 2.* & *Bœcler diff. de Primis Naturæ*, & quamvis hi instinctus hominibus cum brutis communes sint; ea tamen perpetua heic distinctio remanet, quod homo in his instinctibus implendis rationem in consilium adhibeat, quam velut ducem sequitur, cum bestia in iisdem agendis sola vi naturæ, & cæco impetu sine ratione ducantur. Apparet 2. hæc creatoris voluntas ex actionibus ejus, ipsaque rerum; quas intuemur creatione & conservatione, quas dum voluit fieri, voluit etiam conservari. Patent 3. ex fine harum actionum necessario & probabili, qui est ipsa agentis intentio ac voluntas; Unde si plures sint fines ejusdem actionis, qui quandoque etiam contrarii esse possunt, tunc obtinet is, qui ex pluribus est probabilior, sin vero unicus tantum sit, is non potest non necessarius esse. Sic v. gr. homo terra, mari, omnibusque, qui in iis nascuntur fructibus, utitur, nullus enim alius finis, quare hæc aliaque condita sint dari potest, Deus autem nihil frustra facit. Deinceps 4. hæc naturæ facta evidenter ex mediis necessitate, sine quo finis a natura præstitutus obtineri nequit, demonstrantur, ut adeo quadret huc illud, qui vult finem vult etiam media. Hinc quoties intelligo creatorem quid voluisse, toties quoque concludere certo possum, ipsum omnia quoque media voluisse, sine quibus alias id consequi nequiremus, ita injustum aggressorem, si vitæ periculum aliter evitare non possum, juste occidere licet, quoniam nulla defendendæ salutis via alia mihi patet, sic quæritur an bella gerere liceat, quod ex eadem ratione, quoniam nullum aliud vel nos nostraque tuendi, vel ablata reparandi medium superest, rectissime affirmatur. Hæc sunt generalissimæ illæ classes, ad quas plurimæ Juris Naturalis quæstiones ex voluntate creatoris unice decidendæ referri possunt. Dantur quidem plura adhuc alia axiomata, ex quibus sanctissima hæc
crea-



creatoris voluntas hominique concessa facultas, & quatenus hæc restricta est, luculenter demonstrari possunt, sed quoniam plurima horum capita in nuper edita Prudentia Juris Naturalis discussimus, actum agere nolumus. Certissimum igitur est, nullum sine Deo Juris Naturalis conceptum fieri posse, quo remoto quodvis absurdum sequeretur, dum enim unusquisque sibi existeret, omne illud justum esset, quod quisque ad sui voluptatem & conservationem facere posset, & sic tantum juris quantum peritiæ haberet. Sicuti igitur fundamentum Juris Civilis est voluntas majestatis, cui vel ex consensu, vel ex alia causa subditi sese submittere debent; Ita ipsum fundamentum & causa Juris Naturalis est voluntas creatoris, qui talem naturam introduxit *Conf. Ziegl. in Grot. Prolog. §. 8.* frustra vero heic ad æternam aliquam in Deo legem confugitur, ita enim aliquid esse ante vel supra Deum fingeremus, quod absurdum, nec refutatione dignum arbitramur. Si igitur crimen læsæ Majestatis est de principis potestate disputare, multo magis etiam gravissimum læsæ divinæ majestatis crimen est disputare quid Deus potuerit. Quod si vero ad Atheos provocetur, sane non unius alteriusve distorta belluinaque ratio ipsam rei essentiam vel convellere vel infringere potest.

§. V. Verum Universale illud quod hæcenus tractavimus justici principium tam laxum, ejusque limites tam angusti sunt, ut nisi hi debite constringantur, & ad decentem, qua reduci debebant, mensuram attemperentur, vix societas aliqua salva, sana, & stabilis esse possit. Sed ne quis contradictorium putet, illud, quod immutabile profus apud omnes reputatur jus, augeri, ampliari, restringi eique aliquid vel addi vel detrahi, sane constat, duo esse Jurisprudentiæ fundamenta, quorum alterum in præcipiendo, alterum in permittendo consistit, illud in decreto, hoc libertate absolvitur, illud immotum, hoc liberrimo legislatoris, & cui ille hoc concessit, arbitrio relictum; quam

*Recte jus in
præcepti-
vum &
permisti-
vum di-
viditur.*

doctri-



doctrinam sat firmatam probat Jct. in l. 7. ff. de LL. quam non infringit nova quorundam, & jam tum olim Hahnii sententia, non dari jus permissivum, omnem enim juris vim in coactione præcepto & mandato absolvi. Quod utut speciosum non tamen sententiam hanc turbat, si enim ægre ferunt aliqui jus permissivum dici jus, nuncupabimus illud facultatem naturalem, quæ si turbetur omnino vox juris incipit, & quis concessa omnibus hominibus jura convellere, adeoque juste coerceri dicitur. Sic v. gr. contrahere velle, nuptias inire, Juris Naturalis permissivi est, quod jus vel exercere quis vel omittere potest; quando autem quis in eo impeditur, recte contra jus aliquid fieri dicitur.

Propter generalia juris Nat. præcepta necessaria fuit Jurispr. positiva.

§. VI. Cum autem Juris Naturalis principia generalissima sint, nec ea in universum tangant, quæ huic illi aliive Reipubl. regendæ sufficere videantur, adeoque necessum fuit hanc Juris Naturalis generalitatem positivis legibus circumscribere, & infinitis, qui in vita humana quotidie oriuntur casibus, adaptare, quod opus legum condendarum cum longe arduum sit, nulla tamen huc usque Juris Prudentia Civilis extitit, quæ huic incommodo majorem medelam præparavit in plurimis, quam Juris Prudentia Romana, quippe cujus fontes potissimum tam simplices, ejusque tam constans & serena ratio est, ut vel hoc nomine immortale sibi decus Romani Jcti parasse videantur. Id vero demirandum non est, præsertim cum ex historia constet, quod Romani leges suas a Græcis acceperint l. 2. §. 4. ff. de O. I. maxime vero ab Athenensibus §. 10. J. de F. N. & G. Græcorum vero philosophi, uti multa a Mose mutuati sunt Conf. Horn. hist. Philos. l. 3. p. 138. ita legislator Solon ex Ægypto multas leges Athenas transportavit, Ægyptii autem rudimenta suarum legum acceperunt a Trismegisto, hic tandem ea circa ann. mundi 2430. a Mose quasi de manu in manum accepit Pol. Virg. l. 2. de invent. rer. cap. 1. add. Dn. Thomas. dissert. de crim. bigam. §. 12. ut sic, quid



quid leges Romanæ sani & præclari habent, legi divinæ Mo-
saicæ tanquam heræ & Dominae famulentur & ancillentur
instar pedissequarum. Quapropter nos Christiani leges
Romanas observamus & retinemus, non quod ab Ethnicis
sint latæ, sed quod juri naturali & sacrae scripturæ aut ho-
nestati non repugnent. Circa præstantiam hujus juris pe-
culiari libro sollicitus est *Arthurius Duckius*, encomia ejus
exponit *Grotius in epist. ad Gallos. 156*: ipse *Lutherus* elegans
quoque de laude Juris Romani elogium effert *tom. 1. Fen. ad
Psalm. 101. fol. 156.* quando inquit, das Rånserl. Recht/ nach
welchem das Römische Reich noch heutiges Tages geregieret/
und bis an den jüngsten Tag bleiben wird/ ist ja nicht anders/ deñ
heidnische Weißheit / welches die Römer / ehe denn Rom von
Christen oder von Gott selber / ichts gehöret hat / gesezet und
geordnet haben / Und ich achte wohl / wenn jetzt alle Juristen
in einen Kuchen gebacken / und alle Weisen in einen Trancß ge-
brauen würden / sie solten nicht allein die Sachen und Händel
ungefasset lassen / sondern auch nicht so wol davon reden noch
dencken können. Denn solche / Leute haben sich in grossen Hän-
deln müssen üben / und gar mancherley Menschen Sinn lernen
kennen / sind dazu mit hoher Vernunft und Verstand begabet
gewesen / Summa sie haben gelebt / und werden nicht mehr
leben / die solche Weißheit in menschlichen Regiment gehabt
haben. *Tantum Lutherus.*

§. VII. Fatemur quidem, longe pulchra esse, quæ
pro autoritate Juris Romani afferuntur verba, si tamen lo-
qui licet, quod res est, fatendum quoque, multos crassissi-
mos nævos reperiri, qui corpus hoc alias sat decorum,
Sed ad genium & indolem Romanæ jurisprudentiæ adapta-
tum deformare videntur, neque inde decedit gloria scri-
ptoribus Romanis, cum enim omnes hodie scientiæ surgant,
novaque iis ornamenta & incrementa accedant, quare
id in jurisprudentia non fieret? Verum enim omnino est,
extot diversis dissentientibusque

B

pan-

*Navi Ju-
rispruden-
tia Roma-
na.*



pandectarum opus perfici non potuisse, quid si enim vel decem saltem Jcti ad jurisprudentiam aliquam conficiendam constituerentur, valde ambigo, an in omnibus unam tuituri propositurique sint sententiam, quin quot materiae, ne dicam quaestiones, tot fere collisiones advertes. Quin & quo plures commentatores, tanto minus alter alterius cogitata scire, & quam hypothesein unus praeter altero secutus fuerit, penetrare potest. Accedit corruptio legum in pandectis partim per detractionem, partim per additionem juris novi, id quod peculiari tractatu, quem inscribit *emblemata Triboniani* observavit *Wissenbachius*. Ipsae necessariae materiae in Institutionibus, quippe quae prima juris fundamenta struunt, omisae, quod ex materia dotium, pactorum, contractuum innominatorum, Jctionis, processus oppidoliquet. Jus antiquatum & antiquandum saepe nimium prolixè non sine discentium confusione in institutionibus recensetur. Ne dicam de jure publico & sacro, quod confuse tractatur in codice & novellis, & nobilissima pars est legitimae scientiae, plures & graviores naevos recenset *Dn. Thomafius in naevis jurisprud. Rom. antejustin. in praef. & Leibnizius passim*, id certum quoque est, quod Doctorum & interpretum commentarii, distinctionum, ampliationum, limitationum & monstrosarum saepe opinionum involucra adeo Jurisprudentiam lacerarint, ut neque principium, neque exitum veritatis in iis invenias, sed cum casus aliquis incidit in tanta traditionum diversitate, incertus hareas, nec, quo te veritas, scias. *Oldenb. de jur. & equit. l. 3. p. 22. Vultejus de feudis l. 1. c. 9. n. 93.* imo vero eo temeritatis inter practicos quosdam deventum est, ut & si legum textus sint apertissimi, illos tamen allegare quasi dedignentur, contenti eorum loco aliquem practicum nominasse, hac fere formula, ita tenet Bartolus, Baldus. Huic miseriae plerique haecenus judicem mederi posse opinati sunt, si sc. Doctorum & interpretum vota numeret, hoc est communem opinionem sequatur.

Ve-

Doctorum
sententia.



Verum absurdum hoc, & ex parte iniquum, ipse justinianus expresse sancivit, non ex multitudine autorum, sed quod melius & æquius est, judicandum esse *l. 1. §. neque C. de Vet. Jur. enucl. l. 12. ff. de offic. presid.* unde bene *Martinus ab Azpilineta Navarrus in enchirid. c. 27. n. 189.* inquit, non videtur una opinio appellandi communis ad effectum præjudicandi alteri, eo solo, quod plures eam sequantur, tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt, sine judicio sequentes, velut aves, quæ unam voluntatem aliæ omnes sequuntur: taceo jam, cum privati non sit omnium juris autorum habere copiam, quæ revera sit communis opinio, nunquam certe sciri posset. Imo dantur quæstiones adeo arduæ & difficiles, ut interpretes in iis ita varient, ut utraque opinio communis dici possit, teste *Michael Grasso recept. sent. §. legitima quest. 2. n. 6. Vultejus lib. 1. Feud. C. V. n. 59.* neque res judicatæ, quas a collegio illustri pronunciatas plerique laudant paginam adimplere videntur. Nam præterquam quod & ipsa majora collegia referenti & correferenti, & sic paucissimis exactiorem totius causæ examinationem concredere oportet, semper casus seu facti species, super qua judicatum fuit, habebit aliquid facti seu singulares circumstantias, quæ judicem movere solent, difficileque est, probare, idem factum, easdem circumstantias, eademque momenta temporum in utraque causa concurrere, imo sæpe contingit, ut a judice ex officio suppleantur, quæ advocati partium ad acta referre vel neglexerunt, vel ignoraverunt, vel tanquam judici ipsi satis nota omiserunt, & sic in editionibus decisionum maxime necessariæ circumstantiæ sæpe omittuntur. Sed & ipsæ maximorum collegiorum decisiones non raro sibi invicem contrariantur, eandemque controversiam alia hac, alia contrario modo definivisse constat, quod de imperiali camera & parlamento Galliæ testatur *Menoch, lib. 2. præ. 71.* accedit dissensus infinitus collegiorum juridicorum etiam in territorio unius principis, quin in

*Res judi-
cata.*



uno municipio, accedit mutatio frequens observantiae judicialis, etiam intuitu unius collegii, omiffio diligentiae debitae, & nimia properantia in cursu juris, neglectusque Juris Germanici, & historiae pariter ac antiquitatum Germaniae. Plura, quae de opinionibus Doctorum, de casibus pro amico, de arbitrio judicis differi & conqueri solent, praecclare & vere perstringit *Dn. Burchardus in discursu de hodierna jurisprudentia navis & remediis*. Ne dicam quot inutilibus quaestionibus aut nullam, aut certe exiguam utilitatem allaturis Jurisprudentia turbetur, Equidem plurima disputantur, & quasi pro aris & focis propugnantur, sed si quid ponderis revera subsit, aut quid in ipsis rerum argumentis intersit haec disputasse, perpendatur, non raro de lana caprina disputatum fuisse apparebit, quin quot non quaestiones dantur, quae adhuc hodie magno conatu scriptis voceque disputantur, nil tamen ad decisionem causarum conferre videntur conf. *Dn. Strykii diss. de interesse controversiarum cap. I.*

*Remedia
pro emen-
danda Ju-
rispruden-
tia.*

§. VIII. His ita rite ponderatis, nullum dubium est, jurisprudentiam nostram, singulari quadam reformatione egere, quod rebus ita stantibus, difficile quidem, sed tamen impossibile non est; non caret hoc seculum, & si quod futurum, Tribonianis, sed illis instructissimum est, qui pari, qua olim facilitate negotium hoc facillime componere possent, quis modernis imperatoribus, & qui in suo territorio imperatores sunt, statibus imperii non perinde ac Justiniano imperatori indulgeret, quo ex tot infinitis Actorum observationibus, Decisionibus, aliisque voluminibus jus aliquod certum nova methodo colligerent: verum hic omnino solida Juris Naturalis, cognitionis Status publici, historiae, prudentiae legislatoriae, & interpretationis cultura valde requiritur. Laudatus a nobis Burchardus, cujus verba in compendium contraham; tale consilium affert, quod imperator; vel princeps aliquis uni alicui cordato peritoque

Jcto



Jcto demandaret, ut codicem patrium summa cum cura & lucubratione ex optimis quibusvis autoribus construeret, atque omnes, quotquot inveniri possunt quæstiones, controversas utiles, & practicas tamen, brevissime sine ulla disputatione, autoritatisque aut rationis allegatione decideret, quæ exinde a consiliariis collegialiter revideantur, & si quæ mutanda esse putent, sine multa disputatione sola votorum pluralitate colligantur, posteaque principali autoritate confirmantur, & subditis inviolabiliter observandæ præcipiantur, quod uni hoc negotium commendandum sit, ejus rationem affert, quoniam plures diversas foveant sententias, adeoque metuendum rursus sit, ne in eandem, uti in compilatione Juris Romani contigit, calamitatem contrarietatemque diversissimorum principiorum legalis prudentia incidat, quod opus intra decennii metam perfici posse autumat. Quæ res si æqua ponderetur lance non ita rejiceretur, quid impediret, si princeps ex systemate aliquo celebriori controversas utilitatem quotidianam spirantes extrahi, iisque vim legis tribui curaret; cæteris omnibus quæstionibus rejectis penitusque abrogatis, si licet hoc in Gallia, in Dania, quare non apud nos, si licuit id olim, & nunc licebit, si licet multa, quare non omnia? Principes enim hodie in suo territorio potestatem leges condendi habere, tam notum quam notissimum est, adeo ut & camera Imperialis secundum ea pronunciare teneatur *O. C. p. I. l. 57.* modo non arietent in constitutiones Imperii publicas; Præterea necessum erat, ut in tali novo codice plurimæ, & quotquot inveniri possunt utiles frequentesque controversiæ decidantur, quo hac ratione vagum judicantium arbitrium tanto magis meliusque coerceri possit. Cum tamen leges ita scribi non possint, ut omnes casus futuros comprehendant, novi casus emergentes ad eundem modum decidi, & in talem novum Codicem referri poterant. Cæterum id, quod de Jurisprudentiæ Romanæ nævis diximus
con-



comprabat autor tract. *de abbrevianda lite*, quando inquit, Es seind viele Geseze vor die liebe lange Weile geschrieben / immassen die Rechts-Gelahrte selber gestehen müssen / daß die Helffte des Corporis Juris altväterisch Zeug / und von allen Nutzen entferner sey; Es ist gewiß / daß eben die vielen Geseze / und deren mannigfaltige Auslegungen die größte Kezereyen in denen Rechten veruhrsachen. Es hetten die Teutschen an den Salischen Gesezen / den Weichbild / Sachsen und Schwaben-Spiegel genug gehabt / und hetten doch wohl ehrliche Leute seyn können / wenn sie schon das Corpus Juris nicht angenommen. Gut were es / wenn ein Fürst das Corpus Juris gar abschaffete / und hergegen befehliche einen Anzahl ehrlicher und Christlicher Juristen / daß sie nach jezigen Zustand des Römischen Reichs etliche wenige Geseze stifteten / und die Application und Ausdeutung Gelahrten Richtern überlieffen / doch das solche kein Præjudicium gebähren müste / weil die Umstände unter tausend Fällen kaum einmahl gleich treffen. *Vera legis indoles est, ut sit clara, utilis, ad statum accommodata, ut ab omnibus percipi possit, an vero hoc Jus Romanum præstet, suo relinquo loco. Certe nihil a cordato viro tractandum, nisi quod insignem, manifestum, præsentissimumque in vita humana usum præstat, vita brevis, ars longa, quot non elegantissimæ disciplinæ, si facilius ad Jurisprudentiam aditus daretur, ad insignem Reipubl. utilitatem excoli possent; Vix dubium est, si ab uno principe, uti facile fieri poterat, talis reformatio instituat, alios principes hoc exemplum prona mente manuque secuturos. Verum hæc nondum facta, vana est ejus rei disceptatio, cum decisiones nostræ ex Jure Romano hauriantur, extat in hanc rem elegantissimus textus in Ord. Camer. de anno 1555. p. 1. tit. 13. §. 1.* Die Beystzer des Kammer-Berichts sollen in keiner Sach / sie sey so gering wie sie immer wolle / allein auf ihr Gutbedüncken / oder eines jeden erwogene Billigkeit / oder eigen fürgenommen / und nicht denen Rechten gemäß informirten

Gea



Gewissen/ NB. sondern auff des Reichs gemeine Rechte nach Vermög- und Ausweisung ihres Eyds Urtheil fassen/ und aussprechen. Quod tamen ita limitandum duximus, ut in qualibet, quæ applicari debet lege, solida Juris Civilis, & an ea statui nostro quadret nec ne, tum etiam Juris Naturalis ratio indagari debeat. Bene hoc monet *Struvius tr. de vind. privat.* Ubi hoc studium eleganter facere ad perfectionem & confirmationem Juris Romani tradit, sed monet etiam, ne plane deseratur Jus Romanum, aut sibi quisque jus aliquod fingat. Præclare quoque hoc innuere videtur Vir Illustrissimus *Paulus a Fuchs in epistola præmissa tabulis juridicis*, quando ait, optandum foret, ut illi, qui immanes commentationum moles ac inutiles controversias ad Jus Romanum congerunt, potius convenientiam ejus cum naturæ legibus ostenderent, exque iis illustrarent, mirum enim quanta ipsi inde accederet dignitas, quantus splendor.

§. IX. Necessaria hæc Juris Naturalis & Civilis conjunctio ansam nobis præbet, ostendere heic, quomodo defectum Juris Naturalis hæctenus supplet Jurisprudentia Romana, egregie hoc innuit *Jct. in l. 6. ff. de F. & F.* Quando inquit, Jus Civile Juri Naturali aliquid vel addere vel detrudere, quod tamen, uti in §. 5. diximus, de permissivo Jure intelligendum est, quæ enim divina providentia constituta sunt, ea esse immutabilia, jam tum agnovit Imperator in §. f. *J. de F. N. & G.*; Hæc utriusque Juris combinatio eo magis necessaria, & de re esse videtur, quoniam vinculo hoc dissoluto, Jurisprudentia omnis non nisi claudicans, hiulcum & miserabile existit opus. Scopus igitur in subsequentibus est, ut ad ductum Juris Romani per potiora capita, & quasi per indicem, omnia enim adducere velle vix unus sufficeret tractatus, doceamus, quam accurate ea, quæ Jus Naturæ non determinavit, Jus Civile suppleat. Ex quo igitur constat, improvide sibi illos consulere, qui soli Juri Naturæ operam navant, omnes ex eo casus decidere volentes

*Conjunctio
Juris Na-
turalis &
Civilis.*



lentes, peccant quoque, qui Jus Civile tanquam fabulam addiscunt, illudque solum sufficere autumant, utrumque igitur conjungi, nec alterum sine altero esse potest.

*Definitio
libertatis.*

§. X. Primum Juris Naturalis Juris Principium, quod §. 3. exposuimus, accurate convenit cum definitione libertatis, quam Imperator in §. 1. *J. de Jur. Person.* descripturus, inquit, quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet; nisi quid vi aut jure prohibeatur, quo ipso nihil aliud imperator significare voluit, quam ipsum illud liberrimum arbitrium, quod natura ejusque Augustissimus autor & creator universo mortalium generi permisit; qua facultate posita, homo quicquid potest, liberrime agit, ne vero hæc facultas in infinitum pro variis hominum temperamentis exerceatur, & promiscuus agendi usus indistincte homini pateat, moderamen aliquod flectendis atque ad cynosuram legis componendis hominum actionibus accedere debebat, atque inde præceptum prohibitio resultat, quod finalia hujus definitionis verba satis indicant, eadem fere volunt definitiones ususfructus & actionis, quæ nihil aliud, quam ipsum illud permissivum jus, quatenus hoc unicuique patet, exprimunt §. 1. *J. de usufr.* §. 1. *J. de act. accuratius vero hæc depingit Jct. in l. 7. ff. de LL.*

*Divisiones
personarum.*

§. XI. Varia personarum distinctio, qua homines in liberos & servos, ingenuos libertinos &c. dividuntur, non est Juris Naturalis, natura enim omnes nascimur liberi, servitus facta humana introducta, & per se, modo dura servos tractandi conditio exulet, & abusus ille vitæ & necis cesset, injusta non est, male tamen putavit Aristoteles dari servos a natura, neque enim præstantia illustriq; ingenii capacitas jus statim mihi in alium minori sapientia, vel potius obtuso ingenio instructum tribuit. Divisio varia personarum uti Wildfangiorum, Cossatorum, glebæ adscriptorum melius ex ordinationibus provincialibus, quam Jure Civili hauritur, plurimas tamen horum species recenset


Struvius



Struvius Jurisprud. Rom. Germ. lib. 1. t. 4. §. 5. Balthasar de Operis Subditorum. Divisio illa, qua homines vel sui juris sunt, ut patresfamilias alique, vel alieni, qui sunt in potestate vel dominica, vel patria, haecenus tolerari potest, modo nimius ille & liberos & servos tractandi pruritus ad genuinas prudentis Oeconomiae regulas revocetur, unde his limitibus supergressis in servum injuriam committi posse, vix dubitationem aliquam exigit. Id certum est, natura duo tantum tempora esse (non uti Grotius voluit tria) puberum scilicet & impuberum, illi liberi planeq; rerum suarum administratores *l. 21. C. mand.*, hi sub patria potestate sunt, quae potestas ex ipsa lege naturae & educationis, non vero ex generatione ut *Grotius*, non victoria uti *Hobbesius*, non praesumpto & tacito consensu uti *Pufendorffius* voluere, fuit, plurimi ejus effectus legibus civilibus aucti, nec inique, id quos hodie adhuc servari contra *Groenvegius* docet *Lautorb. comp. p. 15. 16.* Impuberes adeo quoniam rebus cum effectu gerendis praesse non poterant, merito nutu consilioque parentum reguntur, quod imperium tam diu durat, donec ex eorum actionibus liquido constet, maturum se actionibus suis intellectum afferre posse, cum vero hac capacitas in uno serius, in altero citius contingat, & a natura indeterminata esset, inde ex legibus Hebraeis temperamentum aliquod hauserunt leges civiles, & in masculis 14. in foemina 12. pubertatis annum statuerunt, in illis quidem longius tempus definiri debebat, ob peritiam regendae familiae, qualis peritia non nisi annis crescere solet, ob graviores labores, & quod majorem laborem requirat generatio a parte viri ac foeminae. Huic ipsi legum Civilium sanctioni debemus quoque caeteras aetatum determinationes, a numero annorum petitas, ubi alii infantes, alii pubertati, alii infantiae proximi, alii puberes, alii in pubertate majori, alii minores, alii majores, alii senes &c. sunt, qualis accurata annorum designatio valde necessaria, & promptissimum in multis litibus amputandis remedium est.

C

§. XII.




*An paren-
tum con-
sensus ad
nuptias ne-
cessarius.*

§. XII. Naturaliter ad nuptias contrahendas paren-
tum consensus non requiritur, eo enim tempore, quo filius
nuptias initurus, pubes est, qui de actionibus suis valide
disponere, & imprimis hoc naturæ opus explere potest,
quia tamen neglectus istiusmodi parentum consensus pie-
tatem & reverentiam, quam liberi parentibus debent, læ-
dere videbatur, quin cum e re non tantum familiarum, sed
ipsius quoque Reipubl. sit, ne promiscue contrahantur
nuptiæ, quippe ex quo promiscuo acceleratoque con-
gressu non nisi certissima familiarum ruina & strenua olim
esuria oriri poterat, inde optime hunc defectum temperant
leges civiles, & hoc nomine parentis consensum, eoque
mortuo, matris, requirunt, quo neglecto nuptiæ ita sunt
nullæ, ut nec vir, nec uxor, nec pater rite intelligatur §. 12
1. de nupt. Dn. Coccej. in hypomn. tit. X. §. 8. Quamvis tamen
subsequens parentum ratihabitio hunc defectum hodie puri-
ficare videatur: Recte quoque iisdem Romanorum legibus
cautum, quod quoties error in persona, error in virgini-
tate, vis & metus, furor adsit, conditioque contra sub-
stantiam matrimonii adjecta sit, toties matrimonium nul-
lum esse l. 9. pr. Her. instit. Nov. Leon. 93. c. 1. c. 21. X. de
spons. l. 16. §. 1. de nupt.

*Gradus in
matrimo-
nio prohi-
biti.*

§. XIII. Ut ut quidem matrimonia naturaliter tam-
late pateant, ut nemo cæteris paribus ab hoc seu removen-
dus vel impediendus sit, recte tamen tum iisdem legibus na-
turalibus tum civilibus pluribus personis nuptiæ interdun-
tur, uti impuberibus, mente captis, summe ebriis, adul-
teri cum adultera, leprosis: quoad prohibitionem ex con-
sanguineitate ortam varia quidem est plurimorum hac de
re sententia. Tutius est statuere etiam de ipso Jure Naturali
matrimonium prohiberi in linea recta in infinitum, inter
fratres & sorores, inter affines in linea recta, cum patru
vidua, non cum viduis amitæ, materteræ & vidua avunculi,
norma heic esse debebat jus divinum universale Lev. 18.
ex-



expressum, inter quod & Jus Naturale essentialis differentia statui non debebat; quanquam tamen in hoc capitulo multos, qui ad universale jus non spectant, casus contineri, plurimi non sine ratione statuunt: rationes quoad priora adduximus *in prud. nostr. jur. nat. c. 4. §. 20, 21, 22.*

§. XIV. Ut matrimonium tanto melius feliciusque sustineatur, solet ab uxore dos, a marito vero donatio propter nuptias afferri. Quæ res si ad prima reducatur fundamenta, de Jure Nat. certum est, quod maritus de suis, uxor quoque separatim de suis se alere, uterque autem ad susceptam in matrimonio prolem conferre debeat, ut adeo & maritus & uxor separatam instituere debeant oëconomiam; nuptiæ enim sunt modus propagandi, non aliquid acquirendi, nuptiarum fundamentum consensus est, atque sub isto consensu non continetur, ut alimenta præstentur. Quod vero ipsum cum plurima incommoda excitaret, quin discordiam quoad prolem alendam sæpe procreare poterat, accurate satis huic incommodo consuluerunt leges civiles, quando massam hanc stante matrimonio quasi confundunt, & maritum ad onera matrimonii ferenda dominum dotis statuunt, dotem soluto matrimonio restitutum *t. t. ff. de jure dot.*

§. XV. Jure naturali divortia permitti, inconfesso est, cum enim utriusque consensu matrimonium ineatur, ita utriusque dissensu quoque dissolvitur, præclare ait Jctus in *l. 35. ff. de R. l.* nihil tam naturale, quam eo modo rem solvi, quo colligata est, secus vero est, si unius saltem consensus accedat. Hanc quoque Christianorum veterum sententiam fuisse *l. 8. C. de repud. l. 8. §. 2. & 3. l. 9. C. eod. Nov. 22. Nov. 117.* comprobant. optime tamen Christianis positivisque legibus hæc restringuntur, & ut non nisi in casum adukerii & malitiosæ desertionis matrimonia dissolvantur, bene statuitur *Conf. Selden. de uxor. Hebr. l. 3. c. 6. 7. Lacl. divin. Inst. l. VI. c. 23.* in praxi aliæ quoque causæ admittuntur. Polygamia quoque ista, qua unus maritus plures uxores ducit

*Constitutio
dotis ex
quo jure.*

*Quid juris
circa di-
vortia?*

Polygamia.



nec rationi naturali, nec legibus societatis, sed nec ipsi veteris testamenti juri repugnat, de quo ut alios taceam eleganter differit argumentisque nervosis utitur *Daphneus Arcuarius* in seiner Betrachtung vom heiligen Ehestand/ Ehebruch/ Ehescheidung/ und viel Weibernehmung/ cum tamen hæc multas in vita sociali turbas discordiasque nutrire & poterat & solebat, adeoque ea merito cum positivis tum Christianorum legibus prohibetur, & justa transgredientibus pana dicitur *conf. Dn. Becman. consp. pol. p. 41.*

Jus tutela.

§. XVI. Tutelam ejusque Jura ex Jure Nat. non fluere vel inde constat, quod nemo hæctenus facultatem vel potestatem in alium habeat, nisi vel ex jure imperii, vel ex societate domestica; Unde nec ipse tutor ullum jus in pupillum, qui extraneus, & ejus imperio nullo modo subiectus est, prætere potest, deinde quale vinculum stringeret tutorem ad tutelam sive amici sive proximi, sive propinqui suscipiendam. Neque impedit, quod imperator §. p. J. de Attil. tut. asserat, naturali juri conveniens esse, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius auxilio nutuque regatur; aliud enim est, an quid Juri Nat. conveniens, aliud an ex Jure Nat. originem trahat, per naturam nihil aliud quam naturalis inibi æquitas indigitatur, cum ergo deficientibus & morte sublatis parentibus, omne tutelæ onus ad magistratum tanquam communem parentem redundare videbatur, optime saluberrimeque legibus civilibus statutum est, ut parentibus defunctis, ne impuberes omnique fere solatio destituti inevitabilem sentiant jacturam, tutores constituantur; quorum jura, officia, obligationes tot legibus & titulis exhibet Romanorum Jus *conf. Dn. de Prinzen. disp. de tutela personarum Illustr. sect. 1. §. 4. Christ. ad LL. Mechl tit. 19. art. 1. & Montanum de tutelis passim.*

Divisiones rerum aliq. juris in re capita Jus Nat. non tangit.

§. XVII. Varias rerum divisiones, quin favores ecclesiæ, Reipubl., fisco, pupillis, uxoribus, fœminis, locis sacris, sanctis, religiosis, studiosis, Academiis, Professoribus, rusti-



rusticis, militibus concessos, jus naturæ planè non determinavit, quorum delineatio uti jure civili, canonico, & statutis optime facta, sic plane quoque necessaria, & felicissimum multas decidendi lites argumentum erat, *Conf Dd. ad tit. I. de R. D. & ad ff eod. tit. de Acquirend. rerum domin.*, quin & illam distinctionem, qua res in corporales & incorporales & illæ in mobiles & immobiles dividuntur, Jus Naturæ aut ignorat, aut ad minimum effectus ejus frigide exponit, quantum tamen ejus rei usus est in emptionibus, in materia præscriptionum, in cautionibus, in alienationibus rerum pupillorum & minorum, in materia dotis, in executione sententiæ, in jure feudali *de quo Dn. Engelbrecht ad ff. tit. de rer. div. §. 35.*

supra §. XVIII. Imo, ut in universam hanc terram omnesque ejus fructus omnibus & singulis jus aliquod competeret; hæc tamen facultas valde restricta; unde princeps non tantum sibi soli, & paucis quibus hoc concessum voluit jus venandi sub pæna gravissima, quæ injusta non est, transcripsit, sed & plurima ad regalia retulit. Ita quoque quod imperator *in §. 3. I. de R. D. de satione in §. 35. de scriptura, in §. 35. de pictura, de ferruminatione, de adplumbatione, de alluvione, de insula in flumine nata, aliisque casibus decidit, ex jure civili originem trahit, nam de Jure Natur. per istiusmodi rerum accessionem dominium non mutatur, vel id alteri acquiritur, sed cujusque jus integrum illibatumque servatur, verum cum cuiq; in hisce casibus integrum a judice tribui non possit, multæque adeo heic lites orituræ erant, recte legibus civilibus ei adjudicatur res, cujus jus potius, salva alteri æstimatione. Idem in ædificiis in alieno solo positis tenebat, quamvis enim Dominus materiæ materiæ ædificii non amittat, sed eam ex alieno solo, dissoluta compage repetere possit, interea tamen cum hoc & molestum, & parum proficuum erat, quin & in ruinam urbis cederet, adeoque leges civiles & hisce incommodis medelam struxerunt, ita ut Domino soli tanquam potentius Jus habenti ædificium addi-*

catur,

*Ulterior
ejus declaratio.*



catur, Domino vero materiæ, stante ædificio, actione deti-
gno juncto pro varia B. & M. fidei distinctione consulatur.
Quin quam salubriter per leges civiles, jura servitutum, va-
ria fructuum restituendorum genera, quomodo feudum,
emphiteusis, privilegium aliudve Jus amittatur, an usufru-
ctuarius caveat? introducta sunt.

*Præscriptio
non est
Jur. Nat.*

§. XIX. Recte quoque imperator usucapionem *in*
§. 1. I. de usucap. inter modos acquirendi Civiles refert, ipsa
usucapionis definitio, in temporis lege adjecti lapsu fundatur,
at vero tempus nihil aliud quam durationem, nullam juris
translationem involvit; Quod nostrum est, non transfertur
nisi per nostram vel superioris dispositionem, quin qui rem
sine voluntate Domini possidet, vitiose possidet, injusteque
facit, quæ quidem injuria quo diutius durat, eo magis augetur,
& quod injustum est, tam diu manet injustum, donec resti-
tuatur in pristinum statum, quod fit reparatione, non vitiosa
temporis continuatione, ab hoc tamen excipitur immemo-
rialis præscriptio, quando sc. initium memoriaque præsentis
possessionis non apparet. Optime vero positivis legibus
præscriptio introducta est, ut sc. dominia rerum in certo sint,
ut dominorum tam segniter res suas curantium negligentia
puniatur, unde varia præscriptionum genera, temporis longi,
longissimi *de quo in ff. de divers. & tempor. præscr. conf. Dn. Coccej.*
disp. de fin. bcn. fid. in præsc. §. 6. 7. seqq. de Jure Nat. quoque
uti quilibet rerum suarum plenissimus arbiter est, ita quoque
per donationes totam suam substantiam exhaurire poterat,
cum vero hæc disponendi facultas, & uberrima bonorum
profusio reipubl. valde molesta onerosaque esset, rectissime
non tantum per leges civiles quibusdam personis interdicta,
sed & modus donandi coarctatus est, ita ut quod ultra 500.
aureos Ungaricos donatum, actis insinuandum sit, alias vitia-
tur solus excessus: ex eodem fonte fluunt varia peculiorum
genera; Naturaliter quidem filius instrumentum sui patris
est, & quicquid acquirit, ei acquirit, quæ acquirendi facultas
tum



tum tollitur, quando filius pubes factus, ipse ad familiam inchoandam capax est. Civiliter vero inter peculium profectitium, adventitium, castrense, quasi castrense, varie distingui solet.

§. XX. Succedit Universalis acquirendi modus, qui per testamentum fit; de cujus origine varia inter Dd. disceptatio est, aliis hunc modum ex Jure Naturali, aliis civili petentibus, nos addituri calculum nostrum testamentum meri juris positivi esse dicimus. Constat hoc ex ipsa testamenti definitione; testamentum enim est voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem fieri vult, talis vero de Jure Naturali dispositio nulla est, ad omnem enim, quæ de Jure Naturæ valere debet dispositionem, duorum requiritur voluntas, alterius de tradendo, alterius de accipiendo, testamentum vero unius saltem dispositio est, quæ mortuo demum disponente vim capit ac accipit, id vero naturaliter fieri nequit, nec dispositio aliqua incipere potest eo tempore, quo disponens non amplius in rerum natura est. Clarius, hæres acquireret a testatore, vel eo vivo, vel eo mortuo, non eo vivo, cum nondum eo tempore consentit hæres, non eo mortuo, cum mortuus non succedat, quod vero hæres eo tempore, quo testator disposuit acceptare fingatur, id merum aliquod, quod ad jus Naturæ non spectat, figmentum est, unde quoque apparet, quod legata, fideicommissa, codicilli, substitutiones & quam plurima hujus indolis ex naturalibus præceptis non fluant; optime tamen positivis legibus materia de testamentis introducta, & tot legum fulcris munita est; cum fatente Imperatore æquisimum sit, ut ultimæ voluntatis liber sit stylus. Iisdem quoque legibus accurate portio ista, quæ liberis præcise relinquenda erat, designatur, & vocabulo trito legitima appellatur, cujus origo cum parentes ad liberos alendos obstricti sint, naturalibus quidem legibus, certa tamen ejus quantitas Civilibus debetur, unde legitima materialiter Juris Nat., formaliter autem Juris Civilis esse dicitur.

§. XXI.

Testamentum non est ex J. Nat.

Legitima origo.



*Successionis
Jura.*

§. XXI. Quoad Jura successionum, ingens quoque iis leges civiles temperamentum, idque non sine ratione addiderunt, notum enim est, quod successio ex jure naturali derivari non possit; cum omne jus, omnisque hominum facultas morte tollatur, jus etenim in facultate legitima consistit, quæ, non nisi hominis animati, non cadaveris est. Jura omnia viventium non mortuorum causa introducta, præterea quicquid acquirimus, vel nostro, vel alterius in nos transferentis factio acquirimus, utrumque vero hic cessat; & ita quoad statum antiquissimum res expedita videtur; verum cum labentibus temporibus, rebus prope omnibus occupatis, descendentes multique impuberes bonis omnibus nudati perire deberent, in locum Juris occupandi res, quæ per mortem nullius evadebant, Jure Nat. secundo surrogata fuit successio in bona a parentibus præmortuis relicta, hæc autem cum Juris Nat. permissivi sint, facile introduci potuisse, oppido liquet. Hac successionis lege posita, succedunt solum descendentes iique legitimi, non adoptivi, non spurii. Cum autem sola saltem liberorum successio, nulla alia, legibus naturalibus congrua videatur, adeoque cum Gentium tum imprimis Civili Jure, & hodie ad ductum Nov. 118. tota successionis materia eleganter disposita, & ad multas personas, quas alii ad tres, alii ad 10 classes revocant, introducta est *Conf. Dn. Strykii eleg. tr. de success. ab intest.* in iisdem quoque legibus accurate satis hæreditatis eique annexa jura ad eundem revocantur, insuperque deciditur, an ejus, cujus vita aut mors ignoratur, bona magistratibus, an proximis debeant administranda dari. Quæ pars hereditatis ventri sit assignanda *Conf. tit. ff. de petit. Hæred. tit. ff. si pars hæred. petatur.*

*Pactorum
origo.*

§. XXII. Pactorum una, simplex & pura de Jure Nat. obligatio est; serva quod promisisti, nihil tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare, grave esse geminatam fidem fallere, eoque pertinet Germanorum illud, *ein Wort ein Wort/ein Mann ein Mann.* Verum



verum cum simplex hæc obligandi vis multis in humana vita
 occurrentibus necessitatibus decidendis non suffectura vi-
 debatur, quin cum varia pacta ej⁹ erant indolis, ut vel facile
 eludi possent, vel de genere negotii plane non constaret,
 adeoque Jure Gentium certum specificumque nomen mul-
 tis plurimisque negotiis adjectum, ita ut ex solo nomine de
 translatione juris, de qualitate negotii, de consensu ad jus
 commutandum penitus prospectum sit; eoque pertinet em-
 ptio, venditio, mandatum, mutuum, societas, commodatum,
 depositum, pignus, jus retractus, jus protimiseos, locatio,
 conductio, societas, contractus qui aleam continent, varia
 ludorum genera, lotariæ, olla fortunæ, affecuratio &c.; ita
 ut quando ex his omnibus solum indicetur nomen, statim
 de indole naturaque negotii constaret. Quin & hæc legibus
 civilibus valde aucta sunt.

§ XXIII. Tota conventionis vis præterea de Jure
 Naturali in liberrima dispositione, non æqualitate, uti Groti⁹
 voluit, consistit, ita ut quis in infinitum de re sua disponere,
 contrahere possit, verum hæc negotiandi facultas per leges
 Civiles recte restricta est, ita, ut quando quis ultra dimi-
 dium læsus fuerit beneficio *l. 2. C. de rescind. vendit.* frui pos-
 sit, ex eodem fonte monopoliorum justitia fluit, quæ natura-
 liter indistincte exerceri possunt, quare recte populus cum
 populo paciscitur, ut is populus certi generis fructus, qui
 alibi non nascuntur, sibi soli vendat. At vero LL. civilibus
 hæc merito coercentur, & ob utilitatem publicam prohiben-
 tur *l. 2. C. de monopol. Novell. 122. c. 1. O. P. 1577. t. 8. & t. 37.* Imo
 & usurarum stipulatio in infinitum licita est Jure Naturali;
 Recte tamen certus usurarum terminus per *Rec. 1. de 1500. 30.*
77. tit. von wucherlichen contracten, introductus, quem, nisi
 casibus exceptis, partes egredi non debent. *conf. Gronov.*
Schockii, Salmasii contra Cloppenburg hoc nomine edita scripta.

§ XXIV. Cum vero in testamentis, legibus, pactis,
 multa obscura multaque incidant dubia, adeoque hæc solida

*Dispositio
 fundamen-
 tum pacto-
 rum.*

Monopolia

Usura.

*Interpreta-
 tiones opti-
 me legibus
 civil. in-
 troducta.*

D

dex-



dextraque interpretatione dirimenda erant. Quam interpretationis materiam a Dialecticis, Oratoribus, Historicis tractatam in ordinem concinnum redegit *Grotius lib. 2. cap. 16.* quem sequitur & commentarii vices supplet *Pufendorff V. 12. & Dn. Thomas. lib. 2. c. 12. Hopperus de art. Jur. 11. f. 92.* optandumq; esset, ut hæc nobilissima materia, in qua non exiguum Jcti munus versari videtur, melius, uti hæctenus fieri consuevit, excoleretur, interea tamen ipsum Civile Jus, multos casus Jure Naturæ hæctenus nondum decisos, optime in utilitatem Reipubl. determinavit, v.g. quod contra eum, qui aperitius loqui poterat, interpretatio fiat, quod in naufragio mulier præ masculino prius mortua fingatur, quod puer ante minorem, senex ante juvenem prius mortui habeantur, quæ ipsa, ne negotia illusoria fiant, introducta sunt, omnis enim de Jur. Nat. interpretatio certa firmaque esse debet, alias, ea incerta, nihil prorsus agetur. Ita quoque pro varia hominum negotiorumque indole materia de culpa introducta est, ut secundum gradus diligentia culpæ opposita vel maxima, vel media, vel minima culpa præstanda sit. De Jure Naturæ enim quis ad levissimam culpam præstandam adstringitur, inspicitur enim heic potentia a Creatore homini concessa, quæ omnem omnino à creatura diligentiam, quippe quam prævidere & poterat & debebat, requirit, ita ut omne damnum, quod humanis viribus seu prævideri seu anteverti poterat, restituendum veniat. Et in hoc tertio delictum & culpa conveniunt, utrumque enim est actio illicita ejus, qui scit, vel scire potuit, esse quid illicitum, ex quo nascitur obligatio ad reparationem omnis damni, qui autem scire potuit alterum vel lædi, vel lædi posse, in eo major est malitia propter majus peccandi studium, propter contemptum prohibentis, propter metum transgressionis in futurum; cum verò hoc Jus Naturæ quodammodo rigorosum videretur, adeoq; Jus Civile hoc temperavit 1. distinguendo culpam a delicto 2. summam diligentiam, quæ hæctenus de J. N. in omnibus negotiis

*Materia
de culpis.*



gotiis requiri videbatur ad mediam transferendo 3. in quibusdam negotiis minimam diligentiam requirendo, in quibusdam maximam.

§. XXV. Minores, fæminas, naturaliter perinde ut alias personas contrahere posse, vix dubium, verum cum illi ob ætatis, hæ ob sexus imbecillitatem multis captionibus obnoxii sint, adeoque leges civiles obligationis hujus effectum interdum circumscribunt, interdum penitus tollunt, *conf. tit. ff. de min. tit. ff. de Sc. Maced. tit. ff. de Sc. Vellej.* Ita obligatio si quis metu coactus consentit de J. N. validissima est, alterque ad solvendum quod metu promissum omnino tenebitur, vis & metus non tollunt consensum, salva tamen mihi est, facta solutione, actio contra latronem, quas difficultates Jus Romanum amputavit, & actionem & exceptionem quod metus causa dedit *conf. tr. nostr. de Prudentia Juris Nat.* Ita quoque tota materia de præsumptionibus ex Legibus Civilibus originem traxit, de J. N. res certa atq; clara esse debet, alias nihil agitur, supra *conf. Menoch. tr. de præsumpt.* Sic quoq; tota illa materia de protopraxia Creditorum in summam reipubl utilitatem, & ad multas confusiones evitandas, quin ut homines provide mercari & negotiari discant, introducta est.

§. XXVI. Sed & innumeri casus, si chartæ angustia eos comprehendere velit, adduci poterant, quæ judicem sine speciali legislatoris determinatione, æternis quasi fluctibus jactarent, quis definirer in partu mensium numerum, in pænis genus, in processu tot diversarum causarum commodam methodum & modum, in termino probandi spatium, in acquisitione bonorum conjugali partes, in feudo qualitates, an is qui prius rem emit, an cui prius tradita potior, quis determinaret, an tortura, an appellatio, an census emigrationis, quando sequestratio, dissolutio matrimonii, alimentorum præstatio necessaria sit; an ob damnum animalis dominus conveniri possit; Quis in casu dejecti vel effusi pulsetur actione, an qui dejecti, an paterfamilias inhabitans. Quæ omnia

D 2

&

*Contractus
Minorum
& fæminarum.*

*Alia Furtum capita
leg. civilibus
decisa.*



& plura alia Jus Civile specialissime determinat, & sic contradictionibus jugulum petit, adeoque, cæteris paribus, quasi cornu copiae inexhaustum est sapientissimarum decisionum.

Fata Praxeos.

§. XXVII. Id adhuc restare, & ad indolem Jurisprudentiæ spectare videbatur, ut perspiciamus, qua ratione praxis commode institui possit. Vix ullum est in Republ. majus incommodum, quam quod ex diuturnitate processuum, & nimio litigandi pruritu resultat, hanc Reipubl. miseriam ex variis processuum fluctibus propullulantem egregie exprimunt verba ista, quæ in curia Mediolanensi reperiuntur. In controversiis causarum capitales inimicitiae oriuntur, fit amissio expensarum, labor animi exercetur, fatigatur, multa & inhonesta crimina inde sequuntur, bona & utilia opera postponuntur, & qui sæpe credunt obtinere, frequenter succumbunt, ac si obtinent, computatis laboribus & expensis, nihil acquirunt. His aliisque vitiis medelam præpararunt, insignes aliquot pique viri, uti *Parthenius litigiosus, autor discursus vom Justitien Wesen/ Carpz. p. 1 c. 1. def. 18. 19. 20. Joh. Peter Ala in tr. de advocatis & causis Christ. Godfriedt Warleffs aus Freyburg in Schweizerland/* utinam vero hæc aliorumque piorum pia monita effectum debitum consequerentur. Videamus autem salvo aliorum Judicio, aliisque melioribus, quæ cum veneratione & voluptate semper amplectemur, monitis, quomodo in meliorem gyrum procedendi modus devolvi possit; & in hanc rem sequentia puncta notamus.

Remedia pro abbrevianda lite.

§. XXVIII. 1. In omnibus, quæ a præcepto ordiri nequeunt causis, amicabilis tentetur compositio, monstratis utrique parti processuum incommodis, ponderatisque insimul causæ momentis, advocati heic removeantur, nisi partes ad facti speciem recensendam plane inidoneæ deprehendantur, causa summarie cognoscatur, qui citatus non comparuerit, nec impedimenta legitima docuerit, gravi multetur pena.



pana. 2. Ut autem compositio talis tanto melius procedat, actor libellum seu supplicam iudici offerat, in eaque omnia quaecunque sive in praesens sive in futurum ad merita causae pertingere poterant, exprimat, eadem ratione reus ad singula, & quaecunque forte excipiendo afferre possit, respondeat, uterque, si opus, aut testes denominet, aut ad iuramentum se declaret, qui secus fecerit, postea non audiatur, nisi jurato demonstrare possit, circumstantiam quam affert, sibi hactenus incognitam fuisse. 3. Quod si ponderatis invicem argumentis, partes amicabilem respiciant compositionem, actori injungatur, ut intra 14. dies causam suam ulterius declaret, ad quam reus intra eodidem dies respondeat; quo facto, intra octiduum sententia feratur, si quis autem testes producere, vel reprobationem suscipere velit, id intermedio jam designato tempore fiat. 4. Si causa fuerit decisa, alterque condemnatus, statim fiat executio. 5. Qui a sententia iudicis appellaverit, integrum quidem id ipsi esto, verum in casum succumbentiae notabilem summam, quae pro qualitate causae augeri potest, deponat. 6. Facta appellatione, statim causa ad superius ejusdem territorii iudicium vocetur, eademque, uti supra dictum, celeritate methodoque definiatur. 7. Si quis legitimum adduxerit impedimentum, in continenti id probet, qui id frivole petiisse deprehenditur, causa cadat. 8. Si advocatus vel pars veritatem non dixisse deprehendantur, non tantum poenam pecuniariam, sed ille remotionis, haec famae notam incurrant. 9. Nulla imposterum distinctio sit inter processum sive summarium sive ordinarium, sed omnes causae summarie ad ductum Clement: saepe X. de V. S. tractentur. 10. Nullus contractus, nullum testamentum valeat, nisi quod magistratus confirmationem habuerit. 11. Quod si quis cum ipsa causa vel reconventionem vel injuriae actionem junxerit, prius principalis causa definiatur, executioni deman- detur, & tum demum reconventionis causa tractetur. 12. Si quis



quis temere litigasse deprehenditur, ad munera civilia non admittatur, & ab honesto consortio excludatur. 13 Impensæ litis ad alterum tantum extendantur, præterea 14. Litigaturæ partes certam pecuniæ summam in fiscum deponant, quam pars vincens præter impensas lucrabitur. 15. Sportulas judiciorum non iudex, sed dimidiam partem pauperes, dimidiam fiscus capiat 16. Ex hisce, quæ ad fiscum relatæ sunt sportulis, salarium iudicum augeatur. 17. Ad officium iudicis pii, prudentes, docti, moderati homines assumantur. 18. Quod si aliquis munera magis quam iura curet, statim removeatur ab officio, e contrario vero 19. Sit præsumptio pro illis, & si forte a partibus convitiis injuriaque proscindantur, gravem tale quid facientes pœnam sentiant; & ut 20. Hi tanto magis ad officium rite administrandum alliciantur, vidua & iudicis liberi principali gratia & futura promotione dignentur 21. Iudex auctoritatem suam tueatur, nec nimia vel familiaritate vel alio casu sibi præjudicium inferat. 22. Nulla dentur interlocutoria, sed si punctus incidens occurrat, in continenti decidatur. 23. Iudex qui præpostere iudicasse advertitur, impensas partibus restituat. 24. Partes, non advocatus iuramentum calumniæ præstet. 25. Advocati nullas adhibeant allegationes, factum rite proponant, suum sui que clientis nomen subscribant. 26. Nulli admittantur procuratores, quorum munus suppleant advocati, & hi non sunt recipiendi ante, quam eorum scientia juris & peritia agendi cognita perspectaque sit, si per imperitiam causam perdant, ad interesse, si vero iis patrocinium præstent, qui injustam fovent causam, vel malitiose simulant, vel minus legitime confitentur, pœnam infamiæ incurrant, eandemque pœnam subeant illi, qui homines a litibus abhorrentes ad litigandum incitant.



Corollaria.

- I. An seculum completum sit, hoc nonagesimo nono anno elapso, an vero ei sequens adhuc annus adji-
ciendus sit, in quæstionem venire solet, nos po-
sterius affirmamus, & novum seculum anno 1711.
inchoari, putamus.
- II. Germania antiquissimis temporibus legibus Sali-
cis, Alamannorum, Bajuvariorum, Burgundio-
num, Ripuariorum, Saxonum, Angliorum, Friso-
num, Longobardorum, (quibus edendis *Job.
Basilii Heroldus ac Fridericus Lindenbrogius*
præcipuam operam intenderunt) postea duplici
Jure Saxonico & Suevico seu Franconico usa ad-
ministrataque fuit, quorum illud tractum Saxo-
nicum ad mare Balticum & Sarmatiam, hoc tra-
ctum Rheni Franciam Orientalem & Sueviam
complectebatur.
- III. Leges Germaniæ veteres nec hodie suam vim
penitus amiserunt, quoniam de earum abroga-
tione ac consuetudine contraria non constat,
accedit, quod hodiernæ consuetudines pleræque
ex illis legibus descendere videantur, quin
Imperatores post Carolum has leges confir-
masse docet *Lehmann. Chron. Spir. lib. 4. c. 21.
& 32.* imo in Ord. Camer. & Recess. Imp. dici-
tur, daß die Assessores nach redlichen / erbah-
ren und landischen Ordnungen / Statuten und
Gewohnheiten der Fürstenthümer sprechen
sollen. Id concedi potest, subsidiarium esse
- E Juris



- Juris Romani usum, ut deficientibus legibus aut consuetudinibus Germaniæ ad ejus oracula recurri possit. Nec aliter considerari debebat Jus Romanum, quam eximium systema Jurisprudentiæ in artem collectæ, quatenus in Juribus singulorum populorum, eoque etiam Germanorum explicandis subsidium præbere potest.
- IV. Per formulam illam, quæ in Ord. Cam. habetur, daß man nach den gemeinen Rechten richten soll / non tantum Jus Commune, sed & provincialia antiqua Germanorum Jura intelligi & solent & possunt.
- V. Graviter inquit *Goldastus in epist. ded. const. præf.* Hoc insigne est academiæ malum, quod magno Reipubl. damno juvenes in iis Juris Romani antiquitatibus instruantur, quæ nullum usum habent, negligentur vero nostræ propriæ leges.




Ad Eruditissimum Dn. DOHME, de Convenientia Legis Naturæ & Civilis disputantem.

Qualis Naturæ sit convenientia Legis Civilisque, docet charta probatque tua. Sic Tibi Doctorum cum libris convenit, imò Convenit ingenio res bene gesta tuo.

Gratulabundus scrib.

Rinthelii d. 28. Nov.
An. 1699.

JOH. KAHLER,
Theolog. & Mathemat.
Profess.



DOHMIUS ingenii clari monumenta relinquit,
Et studiis operam se tribuisse docet.

Quod cum Naturæ placitis civilia Jura
Conjungi fas sit, pluribus ipse probat.

Laudo conatus, studiorum culmina laudo,
Laudandus, laudes qui meruisse studet.

Perge Tuis studiis sic invigilare, brabeum
Gloria virtutis porriget ipsa Tibi.

Perge, Tuis quondam certissima gaudia fistes,
Sic eris & Matris deliciæque Patris.

*Ita laudabili Dn. Respondentis conatu
applaudere voluit*

PRÆSES.



ADdere perge tuis conatibus, addet honori
Venturus serâ posteritate dies.

*Hæc pauca
In honorem Dn. Respond:
Amici in paucis chari adposuit*

JOH. CHRISTIAN BRADT,
Rinthelensis.



Wol dem / der seinen Fleiß auf die Geseze wendet /
 Und gleichsam seine Müß dem Lande so verpfändet /
 Der hat ein gutes Ziel / so auch Gott wol gefält /
 Und über welches Er mit reichem Seegen hält.
 Denn die Geseze sind / so alles wol regieren /
 Und dieses grosse Mund zum süßen Friede führen /
 Denn wo Geseze nicht der Menschen Nichtschnur seht /
 Da fält man in den Schlund von vielen Jammer ein.
 Drum ein recht Kleinod sind die redlichen Juristen /
 Und nicht (wie man sonst sagt) allzeit die bösen Christen /
 Wiewol bey vielen es nur Zungen-Drescherey
 Und leider! oft nichts ist denn leere Wäscherey.
 Die aber hier zum Recht so viel geholffen haben /
 Wird Gott auch einsten dort mit Himmels-Blanz begaben :
 Denn Gott nur nicht bey sich ein geistlich Chor verlangt /
 In dem der Himmel ja auch mit Juristen prangt.
 Die aber können erst mit Recht Juristen heissen /
 Die da mit grosser Müß zu zeigen sich beflissen /
 Wie dort der Römer Recht in der Natur sich gründt /
 Und wie ein Völcker-Recht es seinen Ursprung finde.
 Denn wer ohn diesem Grund ihm hat das Recht erkohren /
 Ist einem Schiffer gleich / so den Compas verlohren /
 Wer diesen Pharus ihm nicht zeitlich hat erwehlt /
 Der hat / wie klug er ist / des Hafens leicht verfehlt.
 In dem Herz Vetter / Er uns hievon zeigt Proben /
 Davon am Ende muß das Werck den Meister loben /
 So preise seinen Fleiß. Er fahre glücklich fort /
 Bis daß Er endlich komm' / hin zum erwünschten Port.

Dan. XII,
 48.

Mit diesen geringen Zeilen / wolte seinen
 Herrn Vettern glückwünschen

Christian Philipp Dohm /
 Rinthelensis,



St. C. W. M. de l'emp. reformandi




X2615945

1077







12


10

1699, 2

P. 4.

Dissertatio Academica
DE
**STATU JURIS-
PRUDENTIÆ, NECES-
SARIAQVE JURIS
NATURALIS & CIVILIS
CONJUNCTIONE,**

QUAM
IN ILLUSTR. ACADEMIA HASSO-
SCHAUMBURGICA,
IN AUDITORIO JCTORUM
Ad diem Decemb. M DC XCIX.




Publico Eruditorum examini submittant
PRÆSES

HENR. ERN. KESTNER,

Doct. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.

JOHANN ANTHON DOHM,
Rintheleusis.



RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

Anno 1799. Jun 4. G. Kraft. Coeper

